



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

7 Cui facienda restitutio inuentorum, habentium dominum, sed incertum,
& an inuentor poßit ea sibi retinere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

men in aliqua Prouincia esset aliqua constitutio, ordinans vt sic dominium transferatur; non esset damnanda: quia dispositio talium bonorum subest auctoritati Principum, nisi quatenus Pontifex eam sibi referuat.

46 Dixi in Secunda propositione, Si is, qui hac bona habet, verè est pauper; quia si solum est pauper pro loco vel tempore, tenebitur postea, iuxta communem sententiam, veris pauperibus ad restitutionem. nam ex ordinatione Ecclesiae & consuetudine piorum, veris pauperibus sunt distribuenda. Pro loco pauper est, qui alibi bona habet. Pro tempore, qui nouit artem vel industriam, qua facile sibi necessaria ad statum comparare potest, vel aliunde ea proximè expectat.

47 Aduertendū autem est, expedire, vt quis in hac distributione (& praesertim quando sibi rem alienam referuat) vratur consilio Episcopi, vel Parochi, vel prudentis confessorij; quia facile amor proprius in hoc negotio decipit, absolute tamen non est necessarium; nam sufficit, vt prudenter fiat. vide Siluestrum v. Restitutio 8. q. 5. & Medinam qu. 3. causa 10. & Nauarr. nu. 92 qui notat, in quatuor casibus Episcopum se posse interponere.

DVBITATIO VII.

Cui facienda restitutio inuentorum, habentium dominium, sed incertum, & an inuentor possit ea sibi retinere.

48 Dominicus Sotus lib. 5. de Iustitia q. 3. art. 3. ad 2. putat, inuentorem, si post diligentem inquisitionem dominus inuentus non fuerit, posse haec sibi retinere; neque obstat vllum Ius positium Ecclesiasticum aut diuinum, quo haec necessario sint pauperibus eroganda.

Probatur Primò, Quia talia bona, hoc ipso, quo per sedulam inquisitionem tempusque ad id sufficiens, dominus non potest deprehendi, censentur adespota: ac proinde Iure naturae sunt occupantis, sicut thesauri, & alia, quae nullius sunt: nisi quod tacita quaedam obligatio illis annexa sit, vt si dominus compareat, restituatur.

Secundò, Quia super huiusmodi bonis numquam solet fieri compositio cum Pontifice, vt testatur Petrus Nauarra l. 4. c. 2. n. 71. quod signum est ea non esse necessario in pios vsus eroganda. Eandem sententiam sequitur Petrus Nauarra l. 4. cap. 2. num. 75. qui pro eadem citat Ledesimam, Mercatum, & Barthol. Medinam. Haec sententia est probabilis.

49 Contraria tamen est ferè communis DD. nempe haec pauperibus vel aliis pijs operibus esse impendenda; eamque tenet D. Thomas q. 62. art. 5. ad 3. & passim Theologi in 4. d. 15. Silu. v. Inuentum, nu. 2. vbi dicit, Omnes Canonistas ita sentire. Nauarrus c. 17. n. 170. Couarr. ad reg. Peccatum, 3. p. §. 1. n. 1. & seqq. qui etiam non probat consuetudinem illam applicandi haec Magnatibus. Hanc sententiam ordinariè in praxi iudico sequendam. Primò, Quia est ferè communis. Secundò, Quia magis fauet pietati. Tertio, Quia passim apud pios est consuetudo, vt pijs operibus haec impendantur: quae consuetudo videri potest habere vim legis; orta enim est ex praxi communis sententiae, quae vsque ad Sotum viguit. vnde magnum seru-

pulum plerique, si haec sibi retinuerint, concipiunt. Quarto, Quia est magis consentanea Iuri communi. Nam Authent. Omnes peregrini. C. Communia, de success. statuitur, Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniet, sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradantur, vel in causas pias erogentur, &c. quae constitutio magis pia est, quam quae huiusmodi fisco applicat. Quintò, Quia haec videtur esse domini voluntas, vt sic ei res sua aliquo modo proficit; & quisque de rebus suis perditis, ita fieri cuperet.

Aduertendum est, nullo modo tolerabilem esse consuetudinem, quae in quibusdam locis dicitur esse, vt bona naufragorum in litus eiecta, habeantur tamquam adespota; & occupentur à Gubernatore loci. (de quo vide Couarruuiam supra) sunt enim excommunicati per Bullam Coenae Domini: & merito, quia est afflictionem addere afflictis; & maximo damno affectis, modicum, quod benigna fors ad solatium extremae miseriae indulserit, eripere.

DVBITATIO VIII.

Utrum acceptum ob turpem causam sit necessario restituendum, & cui.

51 Prima sententia est, Pro nullo opere, quod per se turpe seu peccatum sit, (vt est fornicatio, adulterium, homicidium) posse aliquid accipi; & si quid sit acceptum, id esse necessario restituendum; nisi videatur gratis donatum. Ita Ioannes Medina C. de restit. q. 20. & 28. Idem aliquando sentit Nauarrus c. 17. n. 38. & seqq. Fundamentum est, quia peccatum est nullius pretij, utpote nihil, teste Augustino; ac proinde profus inuendibile.

Secunda sententia est, Pretium acceptum pro opere turpi, quod non sit contra iustitiam, non esse restituendum: secus verò si sit contra iustitiam. Ita Sotus lib. 4. q. 7. a. 1. ad secundum. Fundamentum ipsius est, quia acceptum pro opere debito ex iustitia, necessario est restituendum: ergo etiam quod acceptum fuerit pro opere iniusto.

Tertia est, Acceptum pro omni opere prauo, quod legibus punitur, esse restituendum; secus verò de accepto pro opere, quod leges non puniunt. Ita ferè omnes vtriusque Iuris DD. quos refert Couarruuias ad regulam Peccatum, p. 2. §. 2. Probat, L. Generaliter 26. n. de verb. obligat. Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. velut si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, sed & officio Praetoris contumitur, ex huiusmodi obligationibus actione denegari. Et L. Pacta 6. C. de pactis. Pacta, quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitati Iuris est. Si nullam vim habent, nulliusque sunt momenti; ergo id, quod ex vitalis pacti accipitur, non efficitur accipientis, ac proinde est restituendum. Pro resolutione

Dico Primò, Si solum Ius naturae spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus, quod est peccatum, opere impleto non necessario est restituendum, siue illud opus sit contra iustitiam, siue non. colligitur ex D. Thoma q. 32. art. 7. in corp. & q. 62. art. 5. ad 2. vbi docet, posse retineri id, quod propter opus malum est acceptum. Nec distinguit, si ne opus illud contra iustitiam, an non.